OBSERVATIONES QUAEDAM GENERALES IN DOCTRINAE MEDICAE...

Giovanni Battista Cubick



OBSERVATIONES
QUAEDAM GENERALES
IN
DOCTRINAE MEDICAE HISTORIAM
QUAS
AD SUSCIPIENDOS SUMMOS IN MEDICINA HONORES
IN CELEBERRIMA ET PERANTIQUA
UNIVERSITATE PATAVINA
EXPONIT
JOANNES BAPTISTA CUBICK
GORITIENSIS
IN THESES ADNEXAS DISPUTABITUR

PATAVII
EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA
MDCCCXXX

Si quod unquam est magni ponderis argumentum, quod mentes hominum magis respiciat, earumque prospicist bono, illud profecto existimandum venit, scientiarum historias pervolvendi. Uberrima enimvero cognitionum seges exinde profluit, humanus animus major evadit, talisque efficitur, ut postquam brevissimo temporis spatio per secula et aetates omnes pervagatus fuerit, et praecipua, quae passim occurrunt, perpenderit, tot tantarumque rerum judex existere possit, imo existat.

Quod quidem negotium perficitur, vel quando vicissitudines ac mutationes considerantur, quas annorum decursu fundamentalis diversarum doctrinarum principia partim quoad formam, partim quoad ipsam essentiam subierunt, seseque invicem exceperunt; vel quando, ad severiorem trutinam revocatis temporibus, et rebus majori attentione dignis, nec non humani ingenii ausibus ad perfectionem tendentibus, dissidentium principiorum relationes attenduntur, errorum ac dissidiorum fontes et causae, si quae sint, clariori in lumine collocantur: et hoc est, quod historiae discutiendae methodum appellant philosophicam.

902

Hoc posito, cuique perspectum haberi debet, idipsum satis superque praestari ab artis medicae historia utroque sub aspectu considerata. Ipsa sane ars medica naturali quodammodo instinctu orta, necessitate exculta atque experientia, juncto cum Religione et Legibus foedere, signisque conlatis, tota in eo est, ut hominem servet incolumem, tutetur a malis, revocet, ut ita dicam, ab umbris, illa, uno verbo, sufficiat, sine quibus homo vel plane deficeret, vel ineffabili existentiae bono nequaquam plene ac jucunde frueretur.

Maxime propterea laetandum nobis est cum ipsis statim incunabulis eam celeberrimo affectam honore legimus, et prope aras ipsas altam, Numinumque patrocinio auffultam intentis oculis contemplamur. Sed fatum male! quod paullo post ab *Hippocratis* deficiens praeceptis, huc illuc errabundo pede vagari coacta fuerit, et modo inter *dogmaticas*, modo *dialecticas*, *empireticas* modo, et praesertim *methodicas* et *eclecticas* disciplinas haberi; donec tandem *Claudium Galenum* nacta, priores recepit formas, illisque infulsit donis, quae temporis ratio patiebatur. Longa iterum oppressa servitute sub Arabum dominatu et scholae Salernitanae placitia, iterum vinculis excussis libera evasit, et una cum amoenioribus literia, nativum caelum repetentibus, patries et ipsa larea reviait. Verum enim vero non ita multo post, multa pati debuit ab effraenata *Paracelsi* et *Van-Helmontii* phantasia, multa inter chymiae secreta *de la Boé*, multa tamen inter series calculorum scholae *Iatromathematicae*, usque dum sub domina-

tione *dinamismi* devenit, in qua cum mitiori *incitabilitatis* systemate conjuncta, nostris hisce temporibus matrona effecta est, et veluti regina praecepta exponit et docet hominibus maxime profutura.

Hac, quae breviter attigimus, abunde sufficiunt ad ostendendam methodum, quam historicus quisque vicissitudines artis nostrae labentibus seculis relegendo omni jure sibi vindicat. Sed non his tantummodo detinetur et conficitur utilitas, quae ab examine exurgit ortus, incrementorum et profectuum artis medicae doctrinarum; simplex enim eventuum series memoriam obruit, nihil plane intellectivae facultati prodest. Cui quidem malo ut occurratur attente investigandum est quibus casibus per seculorum vices obnoxia fuerint artis medicae statuta et placita, dum philosophicae simul et literariae disciplinae imperitarent; qui quidem casus expendendi ea ex parte veniunt, qua praecipuum emolumentum exoritur, qua nexus et relationes, quae intercedunt, dignoscuntur, ut tandem indifferenti judicio emergat, quinam defectus fuerint et quinam progressus. En igitur materia, cui tota quanta disputatio nostra innititur.

Atque, ut incipiamus statim, observatione dignum illud primo existimamus, quod scilicet in arte medica (quemadmodum et in aliis) theoreticas leges longe praecesserit practicum exercitium, itaque fiat, ut illae magis hypotheticae et ad arbitrium formatae habitae sint, quo magis dominari acriter contendunt, illis omnibus procul remotis adjumentis, quae religiosa prudentis *empirismi* observatione humano intellectui suppeditantur.

Deinde in omnibus fere medicinae scholis (si priora historiae artis medicae tempora excipiamus, in quibus caeca tantummodo et certis regulis minime obstricta locum habebat experientia), in omnibus, inquam, fere medicinae scholis videmus id generatim in deliciis fuisse, ut naturae arcana (licet inutiliter), causarum indolem scrutarentur, unde animalis oeconomiae et principii ejusdem moderatoris portenta originem ducunt.

Denique per amplos seculorum tractus, dum mens libere discurrit, non potest quin animadvertat, quamdam mutuam destructionem et reviviscentem iterum principiorum vim, quibus disciplinae medicae tam varia costituuntur systemata, juxta varia in scholia philosophiae circa leges Universi opinionum placita.

Ad primum quod attinet, nemo est qui neget, rerum ideas (licet germana earum origo tenebris circumdari videatur) a sensibus gigni vel potius excitari: ex quo fit, ut non modo ideas nostri sensus suppetias ferant, imo etiam haberi debeant tamquam *conditio necessaria et inevitabilis earum* (in hujus vitae systemate) *possibilitatis*. Cum igitur impressionem sequatur sensatio, et huic ex aequo idea respondeat, et impressio nil aliud sit, quam externorum corporum effectus super nervosum systema cum proprietatibus omnibus sensibilibus agentium (1): evidens omnino est mentem hominis ad amplissimam hujusmodi idearum congeriem prius devenire debuisse, quam earumdem originem rationemque rei cogitare. Quod

(1) Gallini *Elem. Physiolog.*

idem est, ac si diceretur nos multa conserere posse experimenta, quin prius theorias conponere consuevérimus.

Eadem fuit artis medicae sors. Homo rerum quibus circumdatur, in medio positus, oculos statim mentemque ad multiplices, quae ejus organis supervenièbant, impressiones convertere debuit; unde, natura ipsa docente, factum, quod omni conatu malas arceret, ad seseque expediendum fortunae et experientiae ductu opportunis remediis uteretur.

Veritas haec fere omnibus Pathologiae scriptoribus innotuit. Hi nimirum dum morbos definiunt, ob oculos primum ponunt, quaenam extiterit vitae ratio, spectata quoad effectus, quos sano in corpore ipsa operatur, ut sic ex comparatione liquido fluat varium discrimen, quod salutem inter et morbum, debita tamen relatione servata, intercedit. In id ergo maxime incumbunt Pathologiae scriptores, ut eamdem illam operationem repetant, quam humanus intellectus tum, cum molestam illam sensationem, morbum proprie in posterum vocatam, expertus est. Ignota igitur homini prorsus fuit morbi existentia eo in statu, quo a nonnullis scriptoribus concipitur, fere metaphysico et absoluto; ipsi tantum sensibiles effectus in causa primitus fuerunt, cur mens ad insuitatum discrimen attenderet, et, experientia duce, exstimularetur ad ea omnia adhibenda, quae consequendae sanitati apprime conferunt.

Haec porro ab ipsa historia luculentissime comprobantur. Relinquamus antiquiora secula, nimium quantum fabellarum pigmentis ornata. Nonne cuique

perspectum habetur apud antiquos Orientis populos id in more positum fuisse, exponendi nimirum publice aegrotos, ut praetereuntium misericordia opportunioribus usque suo probatis remediis opitularetur egentibus? Nec putandum est dissimile quidpiam reperiri in illo medicinae aegyptiae codice, quem sacrum appellant. Ibi enimvero practicae statutae normae, ibi receptae sententiae; a quibus in aegrotorum curatione vel latum unguem discedere nefas erat, et grande piaculum.

At mens humana non est ens mere passivum, sed cum sit liberrimo arbitrio donata, ulterius progreditur, et vi sua modo amplectitur, modo rejicit, modo in partes dividit, modo conjungit in varietate, prope dixerim, infinita ideas omnes, quas ope sensuum acquisivit. Proinde sequitur, ferri homines sponte sua et dictante natura ad ea rationum momenta perquirenda, propter quae hoc potius quam illud eveniat phoenomenon, uno verbo, ad investigandas causas primitivas omnium objectorum, quae sensuum ope animam feriunt. Cultores igitur scientiarum naturalium, propterea etiam physico-medici circa *causalitatis* principium praeprimis occupari debebant, ac detineri. Hi ergo cum toti essent in corporis humani investigatione, cognoverunt statim ipsum constare partibus, quae perpetuo moventur; ex nonnullis phoenomenis se se invicem excipientibus de mutua illarum partium relatione auspicati sunt; juxta analogiae regulas statuerunt similes effectus non aliunde produci, quam ex similibus causis: legitima tandem deductione statuere humanum corpus vivere. Ul-

terius in postremum res ita progredi coepit, ut prima hujusce vitae causa et ratio quaesita fuerit.

Attamen hujusmodi studia inutiliter cesserunt; et peculiaris ista ratio et causa, qua homo stat, qua animalis oeconomiae portenta dignosci possent, qua tutius et securius per caecas Pathologiae latebras incederetur, nequaquam penitus emersit, etsi multum ingenia insudarint celeberrima. Nec mirum: humana etenim mens neque ad intimam unius tantum causae cognitionem post exantlatos in aetates omnes labores adsurgere potuit. Ad rem forsan clarissimus *Hume* in suo opere, cui titulus italice est = *Saggi sull' umano intelletto* = admonet, consuevisse nos causae nomen effectui tribuere, qui quidem effectus ab alio semper profluit. Huic sententiae adhaeret *Condillachius* ubi ait: Extra omnem controversiam positum esse rerum naturam nobis minime constare, et eas solummodo relationes perspectas esse, quae ad nos maxime referuntur (*Storia della Filosofia*). Verum ne a proposito aberremus, hac super de re subsistimus, eamque sententiam amplectimur, numquam fore futurum, ut venientibus aetatibus harum causarum natura pateat, praecipue quia sensuum aciem longe exsuperat. Nihilo tamen minus non ii nos sumus, qui ejus existentiam negemus; imo habemus pro certo, quod si quis tot portentorum materialium originem ab aliis causis similiter materialibus repeteret, ille laboraret argumentationis genere, quod vitii circulum appellant Logici. Necessario igitur adstringimur ad existentiam causarum fatendam, quae natura sua maxime distant a materia; sed eadem necessitate coacti

ad arcani limina consistamus oportet, quibus violatis, veritas ableganda est, hypothesis amplexanda.

Facile patet quantopere decepti fuerint qui vitae rationem et causam explanare curarunt per *Enormon, Archeum, vim hypermechanicam, vitale principium, potentiam sensoriam, incitabilitatem*, etc.; hi enim non rem, sed peculiare aliquod attributum aut proprietatem sensibilem tantummodo prae oculis habuerunt, et quin definirent, verba sine sensu protulerunt. Error hujusmodi, qui tot viros caeteroquin doctissimos obrepit, ex eo repetendus est, (utpote notat Gennensis (1)) quod cum animus abstracta et impervia conatur assequi, in ipso metaphysico itinere citius defatigatus consistit, et falsum pro vero accipiens imaginibus dolectatur, rorum obliviscitur. Sed do hoc argumento satis; non enim omnia ipsi conferunt, nec omnes theoriae medicae scriptores in id erroris prolapsi sunt. Siquidem testatur celebris *Tommasinus*, incitabilitatis nomen nullam afferre cognitionem in causae interioris investigatione et in mechanismo, a quo ipsa pendet (2); et ipse *Bruno* ingenue fatetur, ejus definitionem non a proprietatis natura, sed ab affectibus, quas causa gignit desumpsisse.

Ex his igitur concludendum est, rationem principii vitalis et causam intimam (quod et generatim de reliquo dynamismo dicendum est) obscuris late tenebris obvolutam extitisse, et etiamnunc existere, ni-

(1) Ved *Lettere familiari*.
(2) Tommasini *Fisiolog.* Vol. I.

lid omnino proficientibus obluctantium viribus, studiisque; ideoque multum caecutivisse illos, qui, relicto examine relationum quibus inter se effectus connectuntur, constitutiones, naturas, essentias, et id genus multa persecuti sunt, quia nedum inutilia, verum etiam humano intellectui repugnantia tractarunt.

Verum, est ne etiam necessaria harum causarum disquisitio, ut nostra salutaris scientia uberiores fructus in dies referat? Huic quaestioni non nostris, sed *Tommasini*, modo laudati, verbis respondemus (1). Gravitatis, ait ille, et attractionis natura non minus latet, et tamen attenduntur effectus, legesque calculo dimetiuntur; eaque gravitas et attractio fundamentum satis firmum rebus physicis, chymicis, et ipsis artibus.

Ad tertium modo gradum faciamus. Hic animadvertimus statim philosophiae systemata nullo non tempore mirum quantum contulisse omnibus disciplinis, ita ut jure optimo et citra verum comparari possint cum arboris radicibus, ex quibus foliarum honor et fructuum sapor. Veritas haec praeterquamquod naturae consona sit, et omni doctrinarum generi et qualitati, quae Medicinam immediate respiciunt, adplicari possit, ipsi etiam innititur historicae certitudini. Re etenim vera facile dignoscitur, quantum imperii exercuerit et potestatis in literarias opiniones, in medicae artis systemata *Platonis*, *Stoicorum*, et praecipue *Aristotelis* schola, quae tertio decimo elapso seculo Italia floruit sub nomine Philosophiae scholasticae. A schola Platonis schola dogmatica prognata est,

(1) Tommasini *Fisiolog.* Vol. I.

quae duobus ab Hyppocrate seculis perduravit (1). Quae proxime sequitur schola Stoicorum, Platonicae vulnus intulit nova philosophiae et medicinae principia inducendo, et materialismum ad omne ens corporeum deduxit. Aristoteles tandem physicae suae innixus firmius et acceptatius medicae arti prospexit, praecipue cum eximii ingenii vir Claudius Galenus desumptis illius circa elementa doctrinis et fraterno foedere conjunctis Dogmatismi et Empirismi principiis systema composuit, ad annos mille fere perseverans.


Neminem porro latet, quid, quantumque praestiterit Medicia Hoffmannianorum et Stahlianorum doctrinis schola *Leibnitii* et *Cartesii*, in Galliis et Anglia schola *Lockii* et *Condillachii*, et in tota fere Germania schola *Kantiana*. Hoc ex fonte tot fundamentalia de legibus organicis principia in lucem prodeunt, derivata ab hypothesibus elementorum Aristotilis, vorticum Cartesii, attractionis Newtonii, quae principem locum obtinerunt in artis medicae placitis; obtinent etiam nunc, eousque perduratura, quousque naturalis philosophia solidioribus fundamentis, decernens limites et gradus sibi statutos, tutiorem viam speculativis medicae artis inquisitionibus sternat, ut illius cultores unanimi consensu definiant, quaenam sint leges, quibus humanus organismus regitur, unde dubio procul pars integra totius Universi consistit.

Quae cum ita sint, non est profecto cur aliunde quam a multiplici philosophiae fato vicissitudines re-

(1) Dardonville: *Sui danni de' sistemi* ec. Introduz.

petamus, et mutationes, quas seculorum decursu scholae medicae subierunt.

Ad hanc denique causam satis firmiter provocant ii omnes, qui principia theoriae propriae superstruentes cardinibus paullo ante enuntiatis, communi vocabulo hypothetici salutantur.


912

THESES

I.

Medicorum subsidiorum praestantia in inflammationibus legitimis praeprimia elucescit.

II.

Variolae, etiam genuinae, non destruunt omnem habilitatem ad eas iterum recipiendas.

III.

Aberrant qui existimant contagium vaccinum a variolia legitimis quidem praeservare, sed malam in organismo relinquere praedispositionem ad novos morbos suscipiendos.

IV.

Inflammatio, etiam legitima, non solis venae sectionibus debellanda.